



Excellentissimo Heroi, Constantino
Hugenio S. D.
Vin. Fabricius.

Summa votorum meorum fuerat, Nobilissime Hugeni, coram, et
praesenti tradere sine libellum, quem celeberrimo nomini Tuo con-
secravimus. Iam enim exspectabam cum animo mensuram gaudij
mei; iam praefruebar suavissima illa voluptatis praesumptione,
qua vultum illum, oculosque, quos absens venerabar, coram eram
conspiciturus. Quod cum effusissime cuperem, hactenus obtinuerunt
antiquum Typographi, ut tamen tanta spe ego exciderem. Nisi
forte ex istorum somnium cessatione hoc percipiam commodi: quod,
cum ^{cum} maiori forte pudore conspiciatur te fuisse (ut sum, quoties
vos tales Heroes adveniendi estis, timidior) nunc idem illud per episto-
lam, quae fontem licentius erit, faciam liberius. Accedit, cur
istius mora minus pigere me debeat, quod Incomparabilis vir Da-
nid Heinsius hac nostra ad te mittendi molestiam suscepit.
Cuius profecto viri cum varia in me existent beneficia; ea tamen
ille consummata, non eredit, nisi sponte et ultro literas ad
te suas mihi polliceretur. Ex quibus cum cognoscere te de rebus
posse nostris non dubitem, qualis tamen sim, ne ignorare me possis,
breviser exponam. Et domo quidem, quod iam, opinor, nosti, Ham-
burgensis sum: parentibus ex antiquissimis Civitatis nostrae
familijis utriusque oriundis natus. Quorum ille, nisi facultates his
proximis tempestatibus valde fuissent accisa, admoventi ad Republicam,
ut olim inter atavis meis eorumque maiores, gubernacula potuisset.
Et eo quidem ante annos iam atque orbatus sum. Ultra biennium
in Hollandia vestra vixi. Menses octodecim in Academia Ligoni-
nensi, ceteros in secessu hoc transegi. Hactenus tamen, ut, si Deus
maximorumque hominum favor adinverit, ad maiora adspirare queam.
Annus aetatis nunc currit vigesimus; valetudine semper, et
fama, quod palmarium ducis, ubique apud omnes integra. Celeberrimi
virorum ut cultor et admirator summus, ita quorundam
favorem, quamvis nullo meo merito, non raro expertus. Cetera,
quia volui, publice iam dixi. quo minus, qui horas Tuas ignorare
non possum, molestus tibi esse debeo. Felicissime vale, vir maxime,
et mihi fave. Nortwici. A. D. VII Junij. 1653.

Illustriſſimo Ampliſſimo Viro, Con-
ſtantino Huygenio, Equiti, Auguſtini
Domino, Illuſtriſſimo Trauſionenſium Prin-
cipi à Conſilijs et Secretis.

In Caſtra.